



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VII. Faustinus illiusque socij, ex beneficio Africanorum, in synodum admissi, sententiam quoque dixerunt. Tertius locus illis datus. quia negotiorum tantùm procuratores erant, nulla jurisdictione ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

junctam & ad ceteros Italiae & Occidentis Episcopos profitentur apud Socratem: *Ejus synodi legationem obeuntes, ad tuam benignitatem & ad omnes Italos Occidentisque Episcopos literas offerimus.* Prætermitto infinita hujusmodi exempla, quæ facillè cumulari possent, cum ista sufficiant ad ostendendam hujusmodi vetustatem, in mittendis ad Romanam sedem ab Oriente & Occidente Legatis.

V. Vicissim quoque Romani Pontifices hujus primi generis Legatos quandoque mittebant, qui nulla jurisdictione instructi, ea tantummodo negotia curarent quæ mandatis continebantur. In hunc sensum referri debet legatio Elpidij & Philoxeni decreta à Julio ad Orientales in causa Athanasij, ut incitarent eos qui iudicium scriptis postulaverant, ut præsto esse vellent. Quare nulla causæ cognitio illis concessa erat, solo tantum moneudi & evocandi ad Concilium ministerio defungebantur. Ad hanc speciem Legatorum pertinet quoque legatio Faustini Episcopi & Philippi atque Aielli Presbyterorum Ecclesiæ Romanæ, missa ad Concilium Carthaginense à Zozimo Papa. Nulla enim auctoritate vel jurisdictione sibi mandata Legati illi ornati erant, sed solum ministerium illis impositum erat ad tractanda capita mandatis comprehensa, de appellationibus Episcoporum & Clericorum ad Romanam sedem. *Injuncta sunt nobis à sede apostolica aliqua per scripturam, aliqua etiam in mandatis, cum vestra beatitudine tractanda.* Infra: *De his ergo primitus, si placet beatitudini vestre, tractemus; & postea cetera quæ acta vel inchoata sunt, inserta firmabuntur, ut ad sedem apostolicam rescriptis vestris intimare possitis.* Unde patet negotiorum gerendorum causa decretam fuisse legationem à Zozimo & ab Ecclesiæ Romanæ synodo. Quod patet evidentissimè ex ipsius Commonitorij verbis, quod datum est Legatis: unde constat eos quidem vices Zozimi egisse, sed in procuratione negotiorum, non autem in aliqua jurisdictionis functione. *Vobis commissa negotia non latent, inquit Zozimus. Vos ita ut nostra, imò quia nostra ibi in vobis presentia est, cuncta peragite; maximè cum & hoc nostrum possitis habere mandatum;* cui canones Sardicenses de appellationibus inserit.

VI. Etsi autem Legati Romanæ Ecclesiæ solis negotiis curandis intenti essent, nullaque pars auctoritatis pontificiæ illis commissa esset, non vulgari honore excepti sunt à Concilio Carthaginensi. Etenim cum Faustinus esset peregrinus Episcopus, & synodi Italicæ, τοῖς ἑσπερίοις, alienæ provinciæ negotiis sese immiscere contra canones non

poterat jure proprio, nec etiam jure delegationis, cum Zozimi mandatum ad tractanda capita quædam de privilegiis Ecclesiæ Romanæ restrictum esset. Illud unum ex usu hujus seculi obtinere poterat, ut in Ecclesia Carthaginensi post Episcopum civitatis ante Presbyteros consideret, quod peregrino Episcopo dabatur, ut docent Episcopi Africani in Collatione Carthaginensi. Adde, ad sacrificij oblationem peragendam admitti potuisse ex canone Arelat. Concilij primi, quo inductum est anno c c x i v. ut peregrinis Episcopis ad offerendum detur locus: *De Episcopis peregrinis, qui in urbem solent venire, placuit eis locum dari, ut offerant.* Etenim ante hujus Concilij definitionem Eucharistia tantum in Ecclesia illis porrigebatur, juxta morem ab Aniceto Papa inductum; quo usus est erga Polycarpum Smyrnensem, quem Eucharistiæ communionem in Ecclesia donavit; licet ante illud tempus peregrinis Episcopis Eucharistia domum mitti consuevisset, ne à communionem viderentur alieni. Vtriusque consuetudinis, & illius antiquissimæ, & indulgentioris ab Aniceto inductæ, meminit Irenæus, qui *ἔγραψε ἐπιτομὴν* concessam in Ecclesia Polycarpo Eucharistiam observat disertis verbis. *Ἐνεστέρι* in eo versabatur, ex mea quidem sententia, quod Anicetus sacramenta non misisset domum, sed Polycarpo permisisset iis participare contra Ecclesiæ cancellos. Malè enim interpretes hunc locum ad celebrationem Liturgiæ ab Aniceto permisam trahunt, quemadmodum adnotavit vir doctissimus; cujus censura hac nostra observatione & canone Arelatensi omnino confirmatur.

VII. Cum ergo in eo positi essent Legati ut res Africanas attingere non possent, ad confesum tamen unà cum ceteris Episcopis admissi sunt; illis præsentibus, de negotiis eorum curæ commissis deliberatum est; atque jus promendæ sententiæ, in iis quæ constituta sunt de disciplina, delatum; ut patet ex capite quarto de abstinentia Clericorum ab uxoribus, quæ disertè Faustino censente decreta est. Aurelius Episcopus Carthaginensis jure metropolitico præfuit synodo. Proximum ab eo locum tenuit Valentinus primæ sedis provinciæ Numidiæ Episcopus. Deinde *Fausinus Ecclesiæ Potentiæ, provinciæ Italia Piceni, Legatus Ecclesiæ Romanæ*, qui ceteris provinciarum Africanarum Legatis numero ducentis & quindecim prælatus est. Post omnes Episcopos confederunt Philippus & Afellus Presbyteri, atque Legati Ecclesiæ Romanæ, nullis aliis Presbyteris, neque ipsius Ecclesiæ Carthaginensis, ad hunc cœtum admissis. Quare si negotiorum pro-

In Collat. Carthag. c. 16.

Euseb. lib. 5. c. 16. Græcæ edit.

Fr. Florent ad Tit. de Translat. Episc. Vide H. Valerij Notas ad Euseb. lib. 5. hist. eccles. cap. 24. pag. 109.

curatoribus, vel potius Legatis provincialibus à Synodo Romana & Pontifice missis tantus honor habitus est, dubitandum non est quin Legatis mandata sibi jurisdictione pontificia fungentibus integra dignitas olim in synodis conservata fuerit. Quod obtinuisse videbimus non solum in Conciliis Oecumenicis, sed etiam in Conciliis provincialibus & dicecesanis. Discrimen horum Legatorum ex eo proficiscitur, quod isti magistratu quodam funguntur, & vices Pontificis gerunt in jurisdictione exercenda; illi verò nulla jurisdictione instructi, Legatis provincialibus respondent.

VIII. Frustra ergo sunt Novatores, qui hoc Legatorum discrimine non animadvertendo, eorum jura & dignitatem fœdè permittentes, Concilij Carthaginensis præjudicio Legatos quoscunque Romanæ Ecclesiæ Metropolitans postponendos ex jure veteri censent. Licet autem concoquere non possint excogitatas à viro eruditissimo ad rem istam explicandam voces, scilicet Legatos cathedraticos, & personam Papæ agentes, & judicariam, attamen verbis à jure ipso petitis, quæ ad hujus difficultatis interpretationem attulimus, eos nullo negotio cessuros existimo. Neque verò tantum illis indulgendum censo, quantum vir ille eruditissimus concedere videtur: qui Legatos Conciliorum præfides in Conciliis Oecumenicis tantum agnoscit, non autem in particularibus, ita ut consensus prærogativam à Conciliorum conditione, non autem à legationis discrimine, potissimum trahere videatur. Mihi verò certum est, non solum in Conciliis Oecumenicis, sed etiam in aliis extraordinariis, Legatos Romanæ Ecclesiæ jus illud obtinuisse, ex Concilio Sardicensi.

18. Card. Perronius Repl. c. 40.

C A P V T III.

Synopsis.

I. Episcopi à synodis provincialibus missi ad synodos Dicecesan, vel ad Oecumenicas, sua & mandata jurisdictione utebantur. Legati dicuntur in Conciliis Africanis, in Aquileiensi, & alibi. In synodo Ephesina, Legati dicti absentium Episcoporum Vicary.

II. In Legatis hujus generis emicuit olim auctoritas Romana sedis, Eorum discrimen à Legatis synodorum provincialium.

III. Inquiritur an Legati Romani præfuerint Conciliis Oecumenicis. Ostenditur Corduba Episcopus præfuit Nicæno, unà cum Presbyteris Vitone & Vincentio.

IV. Legatione Romani Pontificisungebatur. Quod probatur non solum argumentis, sed etiam testimonio Eusebii, apud Gelasium Cyzicenum, cujus meminit Photius.

V. Legatio Offi deest in editione Eusebii vulgata, & in ea quæ relata est à Socrate, Theodoretus & Sozo-

menus solos Vitonem & Vincentium Legatos Romani Pontificis agnoscunt. Distinctio Legatorum in externos & internos non satisfaci.

VI. Locus Eusebii mutilus in codice quem Socrates sequebatur. Labes illa manifesta; quæ collato Gelasii codice facile deprehenditur.

VII. Alio quoque argumento id ipsum ostenditur, nimirum auctoritate Nicetæ Choniatis, qui Episcopum urbis regie apud Eusebium explicat de Metrophane Episcopo Constantinopolitano.

VIII. Sozomenus emendatus, qui Vitonem & Vincentium Julij Episcopi Romani Legatos fuisse scripsit. Rejicta Cardinalis Perronij conjectura; quæ tamen viam aperit ad veram emendationem, quæ indicatur.

I. **A**L I U D Legatorum genus in Concilio reperitur, qui mandata sibi jurisdictione utuntur, in iis articulis quorum causâ legatio illis imposita est. Hi sunt Episcopi quos provinciarum synodi ad Dicecesana Concilia, quæ vulgò *Nationalia* dicuntur, vel etiam ad Oecumenica mittere consueverunt. Etsi enim indubitatum sit Episcopis illis jus suffragij competere, attamen injuncta legatio id præstat, ut non solum sua, sed etiam aliena, id est, totius provincie auctoritate instructi, de rebus in synodo propositis decernant. Quare cum ceteris illis intersint non tantum suo sed etiam provincie nomine, inde illis datum est Legatorum nomen, ut constat ex Concilio Carthaginensi: *Singulis quibusque annis Concilium convocetur: ad quod omnes provincie, quæ primas sedes habent, de Conciliis suis binos, aut quantos delegerint, Episcopos Legatos mittant.* Vnde passim occurrunt in Conciliis Carthaginensibus Legati provinciarum Numidie, Mauritanie, Byzacene, & Tripolitane: qui porrectis legationis sue literis, iisque recitatis, & in acta redactis, à Concilio admittebantur, ut patet ex Concilio anni quadringentesimi tertij. Enimvero quia plerumque accidebat ut mandatis fines quidam Legatis præscriberentur, quos excedere piaculum ducerent, constitutum fuit anno c. d. v. in altera Carthaginensi synodo *ut libera legatio ab omnibus provinciis ad Concilium dirigeretur.* Hujus autem vocis usus non in Africa sola obtinuit, sed passim quoque in ceteris Occidentis Ecclesiis; quemadmodum docet Ambrosius in epistola synodica Concilij Aquileiensi ad Gratianum, cui *ex omnibus provinciis Occidentalibus missos adfuisse Legatos scribit;* inter quos Constantius & Iustus Legati Gallorum in actis referuntur, qui Episcoporum Gallicanorum provincie Viennensium & Narbonensis primæ & secundæ vices gerebant, eorumque præsentiam supplebant, ut fatetur Aquileiense Concilium. Quamvis in Ephesina Synodo Legatorum nomen ad Vicarios

Concil. Carth. lib. 4. c. 1. Concilium Ep. sup. 1. c. 1. Concilium 1. c. 1. Concilium 1. c. 1.

Collet. lib. c. 71.

Epistola Concilii ad Episcopos Gallicanos.